

nia, & præsertas Regulas, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ munimine corroborari summopere desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut non solum sibi in præmissis opportune providere, verum etiam emolumenta eidem Ecclesie ad dicta sub titulo simplicis Beneficii, seu Canonici dilecto pariter filio Francisco Clementi Ceccarini Presbytero collati, & per eum de præsentibus ipsi post eisdem Francisci Clementis obitum nunc pro tunc in perpetuum assignare de benignitate Apostolica dignaremur.

§.21. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati concessionem memoratæ Ecclesie S. Mariæ in Dominica, seu Dominica eidem Monachis Græcis Melchitis de consensu dicti Nicolai Cardinalis & Titularis cum omnibus, & singulis rebus, & suppellectilibus tam sacris, quam profanis in ea existentibus, ædiumque Ecclesie prædictæ annexarum, & connexarum, nec non possessionem præmissorum omnium a Monachis prædictis captam, & Regulas præsertas auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & sanamus, dictosque Monachos donec, & quousque ibidem remanserint, & Ecclesie prædictæ interfuerint, in locum ejusdem Francisci Clementis, quoad possessionem præfati simplicis Beneficii Ecclesiastici, seu Canonici nuncupati dictæ Ecclesie annexi post Francisci Clementis prædicti obitum in omnibus, & per omnia auctoritate, & tenore prædictis substituimus, & subrogamus. Ceterum volumus, ut fructus, redditus, & proventus dicti Beneficii, donec, & quousque ipse Franciscus Clemens vixerit, illi persolvantur, & Monachi prædicti, non nisi post obitum hujusmodi, seu renunciationem, aut cessionem Beneficii hujusmodi per memoratum Franciscum Clementem ad eorum favorem faciendam, dicti Beneficii possessionem apprehendere, illiusque bonorum, ac dictorum fructuum, reddituum, & proventuum administrationem suscipere, gerere, & exercere possint, & valeant, nec alicui licitum sit post obitum Francisci Clementis prædicti in illo se ingerere, seu de illo disponere.

§.22. Decernentes easdem præsentibus litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit, in omnibus, &

Præfati Pontificis, & Monasterio unit Beneficium, simplex alia in eadem Ecclesia erectum

Præsentium litterarum firmitas.

per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.23. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit piæ memoriæ Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesie non alienandis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictæ Ecclesie, & Beneficii etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Septembris 1739. Pont. nostri Anno X.

Derogatio contrarium

Dat. die 14. Septembris 1739. An.X.

CCLXVI.

Confirmatio nonnullorum Decretorum pro Collegio Anglorum nuncupat. de Urbe.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolica hæc Sancta Sedes, ut quales ad Animarum salutem, & Dei gloriam Christi Ministros, & Dispensatores Ministeriorum Dei optat, tales sibi formare integerrimos, atque Christiano Populo exhiberet, in Tridentina Synodo statutum curavit, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, ubi redditum, locorumque conditio, patiebatur, Adolescentium Collegia, sive Semiparia, ex quibus experientia Magistra compertum erat, quanta Catholice Ecclesie utilitas extitisset, instituerentur, atque insimul ratio, qua erigantur, erectaque Ecclesiasticis Institutis erudiantur, consultissime traderetur.

§.1. Hinc Pius IV. se. re. alique subsequentes Romani Pontifices Prædecessores Nostri, ut ceteris Antistitibus exemplo præirent, ac faciem præferrent, quam plurima in hac Alma Urbe præsertim, atque alibi a fundamentis excitata tum pro omnium indiscriminatum, tum pro nonnullarum seorsim Nationum dumtaxat commodo Collegia, & Seminaria, atque instructa saluberrimis etiam legibus, ac regulis communire studuerunt. Quoniam autem, omnia sanctissime constituta, nisi advigiletur,

Aliorum exemplo diversis Nationum Collegia a Pontificibus constructa; & prohorum Vitorum visitationi commenda.

Quare statuta in Concilio Tridentino seminariorum erectio.

tur, ut eadem quo ab initio statuta spiritu, atque iidem deinceps, quibus dum primus in virtutibus proficiendi ardor fervebat disciplina studii, servata sunt, imposterum custodiantur, lapsu temporis, sensim in desuetudinem abire conspiciuntur, ut non solum facta, rectaque semper consistenter, verum etiam stabiliori observantia firmarentur, iidem Prædecessores nostri consueverunt, nonnullos interdu deputare diligentissimos Inspectores, qui Collegia, seu Seminaria hujusmodi etiam legum, regularumque præscriptarum observantissima, adeunt, abusus, si qui forte irrepissent, tollerent, novis, quas opportunitas, ac ratio suaderent indicendis, legibus colabentem disciplinam instaurarent, & quæcumque ad virtutum incrementum proficua, & magis necessaria perspexissent, præscriberent, præciperentque.

§.2. Nos vero luculentissimis eorundem Prædecessorum Nostrorum vestigiis insistentes, quantum cum Domino potuimus, nostras quoque hæc in rem partes conferre non omisimus, ac postquam nonnulla alibi Collegia ereximus, salutaria etiam Apostolica providentia remedia ceteris hujus Alme Urbis prædictæ Collegiis adhiberi volumus, quæ quidem ne ab Ecclesia S. Thomæ, & Collegio Anglorum de Urbe nuncupat. desiderari pateremur, Dilectis filiis nostris Joanni Antonio de Via, & Dominico Riviera Presbyteris S.R.E. Cardinalibus ac dilecto filio Magistro Philippo de Montibus nostro, & Apostolice Sedis Notario Prothonotario nuncupat. & Congregationis Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. prædictæ Cardinalium Propagandæ Fidei præpositorum Secretario ab anno 1739. tale officium commisimus.

§.3. Qui sane pro singulari sapientia, religionis zelo, eharitate, & dexteritate, instructo muneri cum cumulatifime fecissent satis, nonnulla pro recta rerum omnium administratione, & stabilitate ediderunt Decreta, tenoris, qui sequitur videlicet: Decreta Sacre Visitationis Apostolice Ecclesie S. Thomæ, & Collegii Anglorum de Urbe.

De Ecclesia.

§.4. Cum ex inscripto lapide de Consecratione Ecclesie constet, ut in quolibet anno V. Kalen. Octobris celebretur commemoratio, signa consecrationem denotantia, temporis antiquitate quasi penitus deleta renoventur.

Recaptentur Lacunaria, & Tecla, quorum portio ad meridiem vergens decliviori casu deprimatur, renovatis Tignis pluviali aqua marcidis.

Ligneum Altare S. Sabini Episcopi ex lapidibus construatur, & Altare SSni Crucifixi in lateribus restauretur.

Antiphonaria, librique Chorales rubris obtegantur membranis, & Oricalchi muniantur sibus.

Dealbentur Tabulæ Chororum dividend. Bull. Rom. Tom. XIV.

Duobus Cardinalibus de mandata Collegii Anglicani de Urbe visitatio.

Decreta ab eis lata.

Reparationes faciendæ.

tes a mensura Ecclesie supraposita, in cuius extremitate erigitur Sacellum Beate Mariæ Virgini dicatum, quod decentiori forma custodiendum decernimus.

Cum ex Bulla Eugenii Papæ IV. concessum fuerit Ecclesie Jus tumulandi, retineatur liber, in quo nomina defunctorum, eorumque tumulationis dies adnotentur, ne imposterum ambigendum sit de privilegio nuper in Judicium revocato a Parocho S. Stephani de Cacco.

De Sacratio.

§.5. Confiaciatur infra mensem Inventarium sacrarum Suppellectilium, & Lintheaminum, descriptis etiam argenteis vasis, & officium Custodis sit omnia in suo ordine disposita non minus fideliter, quam perpulite aservare.

Addantur armaria, ut lineata, & sacra supellex commodius extendatur, quod si angustia Sacratio non omnia custodienda patiatur, ex Superioribus cubiculis unum predicto usu occupetur.

Planctæ viridis, & violacei coloris cum duobus manipolis & stolis albis renoventur.

Præfectus spiritus sit etiam Præfectus Ecclesie, & Sacratio, & omnia, quæ ad utriusque pertinent, accurate disponat; Et quolibet mense, confecto Cathalogo Misfarum, & Orationum dicendarum, in quolibet recurrentis mensis hebdomada, de onerum adimplimento diligenter inquirat

De oneribus perpetuis.

§.6. In conficienda nova Tabella onerum Misfarum in Sacratio detinenda adnotetur Missa perpetua elapsis mensibus relicta ab Equite Thoma Deheram juxta declarationem faciendam a Sacra Congregatione Concilii, & infra duos menses doceatur de adimplimento omnium legatorum; Præterea in libro Misfarum scribatur proprio celebrantium caractere non tantum dies, verum etiam Altare, in quo, & pro quibus fuerit celebratum.

De Hospitio Peregrinorum.

§.7. Nemo excipiat Hospitio; nisi sit Anglus, & Catholicus, præbeatque literas testimoniales Vicariorum Apostolicorum Angliæ, & Romam venerit devotionis causa.

Peregrini nobiles per triduum, ignobiles per dies octo alantur, sicut & Sacerdotes, licet nobilitate fulgentes; in reliquis observentur antiqua Hospitii Statuta, & Decreta Cardinalis Francisci Barberini Senioris.

In elemosynis, quæ laudabili consuetudine quotidie ex mensæ reliquiis per Cystulas egenis partiuntur, Familias pauperum Anglorum præponendas mandamus.

Liber retinendus pro adnotandis nominibus mortuorum.

Sacre Suppellectiles renovanda.

Officiu Præfecti Sacratio.

Singulis Legatorum satisfaciendum cunctis.

Qui sint Hospitio excipiendi, & quoto tempore.

De Valetudinario.

§.8. In quolibet Valetudinarium cubiculo exiguum habeatur Tininabulum, ut infirmi per ejus sonitum commodè vocare possint Curatorem egrotantium.  
Ad invifendos infirmos non adeant simul omnes ejusdem Cameræ Alumni, sed tantum duo, vel tres hora recreationis arbitrio eorumdem infirmorum de licentia P. Ministri.

De Bibliotheca.

§.9. Augeantur æquo sumptu libri controversiarum Catholicorum Auctorum, hæreticas præcipue Anglorum opiniones refellentium.  
Distribuantur dies, quibus per classes separatim Alumni uti valeant Bibliotheca, ne ad eam turmatim accedant.  
Nemo libros sine licentia Patris Rectoris in scriptis obtinenda in proprium cubiculum deferat, & nacla facultate, tradat Bibliothecæ Custodi licentiæ schedulam, adnotando sub ea proprio caractere nomen suum, & librum sibi commodatum.

De Archivio.

§.10. Infra tres menses ordinatim disponantur scripturæ, & libri relative ad generalem Indicem in Archivio repertum, & juxta quem fuerunt olim diligenter retenti.

De Collegio.

§.11. Porta clathrata introrsum Atrii a Janitore clausa custodiatur, ne per eam discurrentibus Alumni per deambulationem, ad vestibulum pateat aditus.  
Alumni neque morentur, neque accedant ad vestibulum, neque extraneos in Collegium, multoque minus in cubiculum admittant absque licentia P. Rectoris, seu Ministri.

De Cubiculis Alumnorum.

§.12. Ordo cubiculorum ita disponatur, ut cubicula unius cameræ sint prorsus distincta, atque sejuncta a cubiculis Alumnorum alterius Cameræ.  
Cum de more in quolibet semestri immutanda sint per sortes Alumnorum cubicula, eis vetitum sit Tabulas pictas, aliasque Imagines præter illas retineri solitas, muris figere, ne per glutinamentum, sive clavorum foramina dealbati parietes deformentur.  
Eisdem pariter Alumni Sociorum introductio in cubicula, atque comestibulum retentio sine licentia Superiorum sit omnino vetita.  
Non liceat Alumni studii tempore, & horis somno assignatis e cubiculis egredi, & cura sit Patris Ministri per se ipsum, vel per alium diu, nocturne non modo cubicula, sed etiam armariola Alumnorum sæpepius explorare.

De Officiis.

§.13. Officialis cujuscumque officii, & præsertim Custos cellæ vinarie, & oblator librum retineat, in quo dietim, & distinctim adnotetur introitus, & exitus rerum, ad quamlibet ex officinis spectantium, ut computa a Patre Rectore, vel Collegii Ratiocinatore semper, & quantumque exigi possint.

De Cœnaculo.

§.14. Dum per Alumnos in prima mensa epulatur, rigorosum observetur silentium, ut pabulo Sacre, & Ecclesiasticæ lectionis manducantes spiritum reficiant.

Nulla penitus differentia intersit inter mensam PP. Societatis in Collegio degentium, & mensam Alumnorum; Quinta, & Septima Fera una addatur portio, ut prandium, suam singulis hebdomadæ diebus quantitatem conformem habeat; Solemnioribus autem festis una ex multis portionibus de more dari solitis subducatur: merenda autem, quæ diversis anni temporibus præbentur, omnino tollantur; Arbitrio tamen P. Rectoris relinquatur facultas concedendi merendas, dum autumnalibus vacationibus Monte Portii Alumni rusticantur, & denique præter jentaculum, prandium, & Cœnam vetitum sit quid minimum Cibi, vel potus sive ruri, sive in Urbe Alumni suppeditare.

De Administratoribus Collegii.

§.15. Administratio, & gubernii cura in Anglico exercenda Collegio, cum provide fuerit a Gregorio XIII. PP. Societatis Jesu commissa; idcirco a Superioribus d. Ven. Societatis destinentur quinque Religiosi Sacerdotes, & quatuor Fratres Laici, quibus Collegii cura sit demandata, neque præfixus numerus quovis prætextu absque speciali facultate Emi Protectoris augeatur, neque minuatur, ne per incrementum Religiosorum numerus Alumnorum decrescat, vel per detrimentum necessarii deficiant officiales.

Ex Sacerdotibus constituatur Rector, Minister, Præfectus spiritus, & duo Magistri; ex Laicis janitor, distributor, oblator, & Socius P. Rectoris. Præterea duo ad sint Præfecti Sacerdotes Sæculares, & quatuor famuli stipendio conducti, nempe Coqus, & ejus Adjutor, Sartor, & Sutor.

De Rectore.

§.16. Cum non modo Rectoris officium sit ea, quæ ad domesticam Collegii disciplinam, sed etiam quæ ad rectam reddituum administrationem pertinent, exercere, in quo maxima requiritur solertia ad compescendas Ministrorum Economiæ exercentium fraudes, atque incuriam, ex quibus Collegium non levè tulit detrimentum, ideoque statuimus, ut imposterum depu-

Numeri Patrum Soc Jesu Collegio in servitium.

Rector ex Italia defunctus.

deputandi sint Rectores Itali, dummodo tamen ex PP. Societatis non adfit Anglus, qui diu in Italia versatus reperitur idoneus ad officium Rectoratus exercendum, sed cum P. Henrici Sheldon zelus, & industria in dicto officio nobis innotescat, confirmandum esse duximus per aliud triennium, & ultra quatenus expedire videbitur.

Injungimus Rectori pro tempore existenti omnia ad suum munus spectantia, & in præsentibus Decretis per nos sancita, accurate, & diligenter adimplere, & suo exemplo ceteris præesse, ut unusquisque a Deo ad Evangelicum opus Apostolici Instituti vocatus, suum munus, de quo erit Deo rationem redditurus, quam diligenter absolvat.

De Ministro, & Præfecto Spiritus.

§.17. Patris Ministri vigilantia committitur, ut ab Alumnis Constitutiones, nec non Decreta in præfenti Apostolica visitatione circa eorum disciplinam exarata, adamussim observentur; Et Præfecti spiritus sit, nedum illos solida pietate imbueret, sed etiam in quolibet mense speciali instructione eis proponere, quæ Missionario decent, & quæ sint virtutes excolendæ, & quæ vitia a vinea Christi cultore præcipue vitanda.

De Magistris.

§.18. Duo sint in Collegio Magistri, unus controversiarum, & Sacra Scripturæ, alter Theologiæ Moralis; Lectiones vero proponendæ aptentur speciali Institutione Anglicæ missionis, ad quam per Jusjurandum fuerunt alumni felicitè vocati.  
Magister controversiarum sit etiam Præfectus studiorum & sedulo inquiret de profectu studentium, atque eos particulatim exerceat disputationibus suis congruis temporibus præfinitis.

Magister Theologiæ Moralis habeat onus repetendi Lectiones in Collegio Romano auditas a Logicis, & Methaphisicis.

De Laicis, & Familiis.

§.19. Fratres laici, & Famuli singillatim observent ea, quæ disponuntur in Instructione decretis adicienda.

De numero Alumnorum.

§.20. Licet ex Bulla foundationis præscribatur numerus quinquaginta Alumnorum, quibus addendi sunt alii duo ex legatis Hagi Orvens, & Bernardini Pippi, at tamen cum præfentes Collegii redditus ad alendum præscriptum numerum minime sufficiant, pro nunc ad 50. tantum comprehensis duobus Alumni legatariis reducimus.

De admittendis, & de methodo observanda in admissione Alumnorum.

Qualitates ad mittendorum

§.21. Nemo admittatur inter Alum-

nos, nisi sit Anglus Catholicus, & qui natus fuerit in externa regione, saltem a Patre Anglo sit genitus.

Admittendi humaniores calleant litteras, ut illico ad Logicæ studium valeant incumbere, & cum hac sanctione a Bulla, & Regula foundationis præscripta sæpe sæpius non sine maximo Anglicæ Missionis detrimento, recessum fuerit, ideoque districte jubemus, ne imposterum Juvenes in Alumnos quavis de causa recipiantur, nisi humanarum litterarum studia absolverint.

Cum optimus Juvenum delectus non parum ad assequendos uberrimos Religiois Institutionis fructus proficiat, summa itaque in electionibus faciendis diligentia adhibeatur; & infra scriptam methodum observandam mandamus.

Rector per annum antea Eminentissimum Cardinalem Protectorem, penes quem tota sit electionis potestas, certiorer, quæ loca fuerint sequenti anno vacatura, ut expeditis per eum literis ad Vicarios Angliæ, pro habendis novis Alumnis, committat examen, juxta formam præscriptam a Decretis Cardinalis Barberini senioris; Si vero Vicarii Apostolici optatis juvenibus careant, tum ab Emi Protectore Alumni ex Collegiis Duaci, & Audumaropoli exquirantur.

Ad præelectos candidatos expediantur literæ nominationis subscriptæ ab Emi Protectore, & ejus sigillo munitæ, quibus electi Romam venientes labente autumno, ingressum in Collegium obtineant, verum priusquam in Alumnos excipiantur, per quatuor, aut sex menses in probatione manebunt, quo tempore officium sit Rectoris, Ministri, & studiorum Præfecti de moribus, indole, ingenio, valetudine, & vocatione sedulo inquirere, ut si quis minus idoneus reperitur, cum assensu Emi Protectoris statim dimittatur.

Elapso probationis tempore in Alumnos cooptandi per spiritualia exercitia de juramento præstando a Præfecto Spiritus tri-duo instruantur, quibus absolutis, Juramentum ab Alexandro VII. præscriptum coram Patre Rectore præsentibus subscribendo ulterius formulam prædicti Juramenti, cuius exemplar S. Congregationi de Propaganda Fide servandum tradatur.

De Alumnorum Dimissione, & Viatico.

§.22. Alumni, qui studiorum cursum compleverunt, & ad Sacrum Presbyteratus Ordinem fuerunt evecti, priusquam ad Angliæ Missionem expediantur, deputatis Examinatoribus ab Eminentissimo Protectore coram P. Rectore diligenti subiiciantur examini, & idonei reperti, ad Missionarii munus subeundum, literis Commendatiis dicti Eminentissimi Protectoris ad Vicarios Apostolicos directis, muniantur, atque in Angliam designato itinere, nec non soluto arbitrio Eminentissimi Protectoris Viatico scutorum quadraginta mittantur.

Caveant Alumni ita dimissi, & Angliam profecturi, ne in externas vagent regiones,

Antea probandi per aliquot menses.

Alumni apud Monasteria Anglicana in Belgio degen- tes Sacramen- to praefito, non satisfac- iunt.

giones, minusque a jurata vocatione quo- vis praetextu, etiam melioris boni desce- rant: Quapropter recto tramite & expedi- te ad exercendam Missionem se conferant, Vicariisque Apostolicis se sistant, eorum mandatis in Evangelico Ministerio accura- te obtemperando.

Cum vero nonnulli ex Alumnis sibi male suadeant Missionis juramento satisfacere, si apud Monasteria Anglicana Con- ventus, & Monasteria in Belgio existentia, confessarii munus suscipiant: maturo hac de re per nos habito examine necessarium duximus declarare, quod cum Collegii In- stitutum consulere voluerit Missionibus pe- ragendis in Anglia haeretica pravitate labo- rant, praedictum munus tanquam in exte- ra, & Catholica regione exercitum a recta Collegii institutione declinat. Vicariis ta- men Apostolicis relinquimus facultatem eligendi Alumnos in Confessarios praedictorum Conventuum, & Monasteriorum, dummodo alii deficiant idonei Presbyteri, qui tali munere perfungantur, & de hac fa- cultate praedicti Vicarii Apostolici certio- res fiant.

De Alumnorum Gubernio.

§.23. Alumni omnes in duas pro nunc partiantur cameras, & earum cuilibet praefit Sacerdos secularis, qui tanquam Praefectus Camerae vigili cura, & prudentia eam moderetur, nec sinat quidpiam minus modeste, & pie redolere, & si quid corri- gendum duxerit, omnia sincere, & fide- liter Rectori, & Ministro patefaciat.

Inter utramque Cameraam, quovis tempore etiam autumnalis rusticationis, nullum intersit commercium, quod si Alumnus Camerae aliquod conferre habeat cum Alumno alterius Camerae, impetrata prius licentia P. Ministri, seu Rectoris, atque ei exposita causa coram Praefecto Camerae Alumpi postulati, Italice alloquatur.

Praefectus Camerae in associandis Alum- nis extra Collegium curam adhibeat, ne immodeste turmatim, & nimis velociter incedant, & ne deviant a locis ante egres- sum a Patre Ministro designatis.

Constitutiones per nos noviter editae de Alumnorum disciplina fideliter obser- ventur, & si quid dubium, aut omisum in illis inveniatur, in levioribus tantum fit in Rectore facultas interpretandi, atque ad- ieiendi, neque Alumnus quovis praetextu ab eius Judicio audeant divertere.

De Alumnorum Pietate, & Studiis.

§.24. Cum in pietate, & studiis repo- sita sit spes Evangelici fructus ex Alumno- rum educatione praemaxime optatis idcirco districte praecipimus, ut omnia pietatis of- ficia laudabiliter introducta sedulo, & ac- curate compleantur, & pro ratione studio- rum nova statuatur methodus, per quam nedum Alumnus in Scholis Romani Collegii Logicam, Methaphisicam, Theologiam speculativam, linguasque Graecas, & He-

braicas percipiant; verum etiam in Colle- gio privatas habeant lectiones Sacrae Scrip- turae, Controversiarum, & Theologiae Moralis peculiari eorum Instituto accom- modatas. Qua de re duo in Collegio habeantur Magistri, qui quotidianis lectionibus, & congruis disputationibus Scholares exer- ceant, atque eos ad Missionis officium ido- neos reddant, & ordo lectionum repa- riendarum imposterum observandus praescribatur.

De Convictoribus.

§.25. Nemo uti Convictor recipiatur, nisi Viaticum in manibus Patris Rectoris pro discessu deponat, & anticipate alimen- ta perfolvat, & omnia quae de Alumnorum victu, vestitu, & disciplina sancita sunt, indiscriminatim praeter juramentum Missio- nis observare promittat.

De statu temporali Collegii.

§.26. Exhibeantur in mense Martii cu- juslibet anni computa Etno Protectori, qui cum animadversionibus sui Ratiocinatoris ea transmittat ad Secretarium Sacrae Con- gregationis de Propaganda Fide, ad esse- dum examinandi statum Economicum in- particulari Congregatione constituenda ex Etnis, & Rnris Cardinalibus Praefecto, & Protectoribus Regnorum Angliae, Scotiae, & Hiberniae cum Secretario praedictae Con- gregationis.

Insuper ad evitanda damna Collegii redditibus per Administratores stipendio conductos grave nimis illata, necessarium duximus praescribendo annectere modum, quo sit imposterum Economica administra- tio a praedictis officialibus exercenda.

Jentaculum, quod per abusum sup- peditari consueverat famulis Etnorum Car- dinalium Sacrae Congregationis Immunitatis ad Festum S. Thomae Cantuariensis con- venientium, omnino tollatur.

Tandem cum parum proficiat novas condere leges, nisi in praxim disposita re- ducantur, & in memoriam saepe saepius re- vocentur. Propterea P. Rectori injungi- mus, ut infra sex menses de adimplemen- to in hac Apostolica Vistatione praescripto- rum, Etnum Cardinalem Protectorem cer- tiorem reddat, atque bis in anno cum in- terventu omnium Ministrorum, & Officia- lium decreta, & Instructiones per Nos mo- do statutas mandet tempore prandii legen- do promulgari.

Et ita salvo &c. Datum 11. Maii 1736. T. A. Cardinalis de Via Vistator Apo- stolicus: D. Cardinalis Rivera Vistator Apostolicus: Philippus de Montibus Secre- tarius Congregationis de Propaganda Fide a secretis. Ex audientia SSini die 16. Se- ptembris 1739. SSinus supra dicta omnia approbavit, & literas confirmatorias in- forma Brevis expediri mandavit: Philip- pus de Montibus.

§.27. Praeserta autem decreta cum proficua, ac salutaria probavimus, quo fir-

Rector intra sex menses de- bet ducere de adimplemen- to hujusmodi Decretorum.

Eadem con- firmat Ponti- fex.

Servandaque ubique statuit

firmius subsistant, & serventur exactius, au- thoritate Apostolica tenore praesentium ap- probamus, & confirmamus, apostolice fir- mitatis robur iidem adiciamus, ac om- nes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, sanamus, & supplemus.

§.28. Decernentes eadem decreta, ac praesentes literas firmas, validas, & effi- caces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spe- ctabit, plenissime suffragari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apo- stolici Auditores judicari, & diffiniri debe- re, ac irritum, & inane, quidquid secus su- per his a quoquam quavis auctoritate scien- ter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollens.

§.29. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 28. Septem. 1739. An.X.

Datum Romae apud S. Mariam Majo- rem sub Annulo Piscatoris die 28. Septem- bris 1739. Pont. nostri Anno X.

CCLXVII.

Breve Urbani VIII. quo Provinciae Lusita- nae Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupa- torum Fratrum prohibetur transitus ad alias Provincias ejusdem Ordinis, stu- dendae causa, extenditur ad Provinciam Sancti Antonii in Brasilia ipsius Or- dinis.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Ad tollendos abusus Provinciae Lusitanae Urbani VIII. suo Brevis.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Emanuel a Resurrectione Frater expresse professus, necnon Minister Provincialis Provinciae S. Antonii in Brasilia Ordinis Minorum S. Francisci de Ob- servantia Reformatorum nuncupatorum, quod alias, ut nonnulli abusus, qui in Provincia Lusitana S. Antonii ejusdem Or- dinis, ex qua primordiale Provincia dismem- brata fuit, irreperant, tollerentur, eman- narunt a se. rec. Urbano PP. VIII. Praede- cessore nostro quaedam literae in simili for- ma Brevis expeditae tenoris sequentis, vide- licet:

Cavit Reli- giosos ejusdem Provinciae ad aliam transire absque Provin- cialis licen- tia.

§.2. Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Berardus de Martyribus Mi- nister Provincialis Provinciae S. Antonii Or- dinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum Regni Portugalliae, quod permulti dictae Provinciae Fratres Refor- mati hujusmodi ad illius Praelatos Superio- res recursum habent, ut ab eis licentias se se ad studendum extra dictam Provinciam conferendi obtineant, non sine gravi alio- rum Fratrum Reformatorum ejusdem Provin- ciae, in qua sunt studia, detrimento, & perturbatione. Quoniam vero, sicut eadem expositio subiungebat, ignari licen- tias hujusmodi procurant, quo licentius,

& liberius vivant, & cum maximo Ordinis eorumdem Fratrum Reformatorum dede- core, postmodum in eodem habitu incede- runt. Nobis propterea idem Berardus Mi- nister Provincialis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate Apostolica digna- remur. Nos igitur eundem Berardum spe- cialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Eccle- siasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innoda- tus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero nullus dictae Provinciae Frater Reformatus hujusmodi extra eandem Provinciam stu- dendae causa absque pro tempore existentis dictae Provinciae Ministri Provincialis licen- tia, & consensu se se conferre ullatenus pos- sit sub excommunicationis poena, eo ipso incurrenda, Apostolica auctoritate, tenore praesentium interdicimus, & prohibemus. Volentes, & expresse mandantes, ut in eventum, in quem aliquis Frater Refor- matus hujusmodi literas Apostolicas ad hunc effectum obtinuerit, & habeat, ille eidem Provinciae, in qua studebit incorpo- retur, & habitum praefatae dumtaxat, non autem illius, in qua prius erat, & Provin- ciae gestari solitum deferat, dictaque prio- ris Provinciae, a qua exivit, habitum praer- teritum reassumere, & in ea amplius reci- pi nequeat; ac decernentes praesentes lite- ras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros ef- fectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non ob- stantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provin- ciarum hujusmodi etiam juramento, con- firmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apo- stolicis in contrarium praemissorum quomo- dolibet concessis, confirmatis, & innova- tis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus, pro plene, & suffi- cienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad effectum praesentium hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibus- cumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20 Decembris 1642. Pont. nostri Anno XX. M. A. Maraldus.

§.3. Quoniam autem dicti abusus de praesenti in primordiale Provincia vigent, & nonnulla inconvenientia, & incommoda experiuntur, ipse Emanuel Minister Provin- cialis eandem literas ad favorem dictae Provinciae Lusitanae a praedicto Urbano Praedecessore editas ad suam Provinciam per nos extendi plurimum desiderat. No- bis

Provincialis Brasiliae ad suam Provin- ciam hoc statu- tum exten- dit perit.

CCLXVIII.

Petris annuit Clemens.

bis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§.4. Nos igitur ipsum Emanuelem Ministrum Provinciale specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum forecensentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, ad quos supplicem libellum nobis porrectum remisimus, consilio, praesertim ejusdem Urbani Praedecessoris literas ad favorem Provinciae Luthanae ejusdem Ordinis, ut praefertur, editas, omniaque in illis disposita, auctoritate Apostolica tenore praesentium ad eandem Provinciam S. Antonii in Brasilia extendimus pariter, & ampliamus.

Sicque in perpenam servari praecipit.

§.5. Decernentes eandem praesentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & defini debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria sollicit.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciae, & Ordinis praedictorum etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore mansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis dauda fides.

§.7. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibite, vel ostense.

Dat. die 30. Septem. 1739. An.X.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Septembris 1739. Pont. Nostri Anno X.

Irritatio Electionis Petri Joannis Meindarts in Pseudo-Archiepiscopum Ultrajectensem, qui Censuris irretitus, suspensusque declaratur addito prohibitione se in Archiepiscopum consecrandi, eaque exercendi, quae sunt Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam benedictionem.

§.1. Magna Nos pro supremi pastoralis officii munere tenet sollicitudo, & salutaris metus, ne in commissum tenuitati nostrae Dominici gregis Ovile intrent in vestimentis ovium lupi rapaces, edantque stragem eo majorem, quo subdole, & incautus illatam. Qua quidem sollicitudine vehementius angimur, & conflamur, cum vos illic vocati in sortem Domini ante oculos nostros obversamini, undique ab iis circumventi, qui vobiscum veluti in eadem familia degentes, animos vestros non solum veneno depravata doctrina dolose inscere, verum & inaniter Archiepiscopo sibi constituto, per speciem adumbrata hujusce dignitatis, in fraudem inducere conantur. Quamquam enim experti didicimus, fidem vestram, tamquam aurum igne probatum, puram illibatamque manere; vobisque esse persuasum, quicquid est Ecclesiasticae Hierarchiae, non nisi in angulari lapide, atque in Apostolicae Petrae soliditate fundatum erigi ac stare posse. Tamen, ut pro paterna caritate, qua vos amantissime complectimur, longius a vobis instructae fraudis periculum amoveamus, ac diligentius aeternae salutis vestrae cautum sit; Apostolici Ministerii Nostri esse duximus, vos edocere, quid a Nobis, ut haec paucorum perduellium inverecunda protervitas prorsus profligetur, actum fuerit; & quid a vobis, ut eam fugatis, ac detestemini, praestari debeat.

Dolet Clemens inter Fideles Belgas irrepibile nonnullos in Religione per duelles.

§.2. Igitur ubi molestissimus nuntius ad Nos pervenit, aliquos factiosos Clericos, qui se stulte, atque insolenter jactant Canonicos Ultrajectensis Capituli ab annis supra centum extincti, eo temeritatis devenisse, ut secleri quotidie magis addentes, & veterem seditionem recenti crimine cumulantes, ausi fuerint die secunda proxime praeteriti mensis Julii in Ultrajectensem Pseudo-Archiepiscopum nefarie eligere, quemdam Petrum Joannem Meindarts, Pastorem, ut ajunt, Leovardiae, quamquam aperte scirent, istiusmodi execrabile facinus, ab ipsis non semel antea patratum, ab Apostolica Sede nefandum, irritum, inane declaratum fuisse, delectum, abjudicatum. Nos illico Praedecessorum nostrorum, Sacrarumque Legum morem, atque exempla sequuti, hanc modo iteratam, illegitimam, sacrilegamque electionem, tradita Nobis a Coelo potestate, rescidimus; abrogavimus, nullius roboris, vanamque renunciamus; Eundem vero Petrum Joannem, & quotquot fido ementiisque Canonicorum Ultrajectensium nomi-

Electionem Petri Meindarts in Pseudo-Archiep. Ultrajectens. jam improbat.

1739. In ei adhaerentes factum anathema.

Ipsi interdicte ea facere, quae sunt Ordinis sub poena excommunicationis.

Episcopalemque adire Jurisdictionem.

Ab eo factis initiari, suspensioni, & irregularitati obnoxii.

Cum eo nullo modo communicandum.

Veritatem ne se ullatenus consecrate faciat latis poenis in id attentantes.

Adhortatio ad Catholicos.

ne in ipsum suffragia contulerunt, eique adherentes, favorem, opem, consilium, consensum praestiterunt, & illius partes sectantur, fovent, tuentur, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicavimus, anathematizavimus, atque ab Ecclesiae communione segregatos, ac prorsus Schismaticos habendos, & vitandos esse constituimus, indiximus, & declaravimus.

§.3. Mandamus propterea, districtique interdicimus eidem Petro Joanni sub poena Excommunicationis ipso facto sine alia declaratione incurrendae, ne audeat Jurisdictionem ullam, aut pro animarum regimine auctoritatem sibi arrogare, vel pro suscipiendis Ordinibus Dimissorias Literas dare, Pastores, Missionarios, Ministros, Deservitores, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu, constituere, ac deputare.

§.4. Simul quoque palam edicimus, & declaramus, omnes & singulas antedictorum Officiorum deputationes pro animarum regimine, quocumque nomine jam factas, aut fortasse faciendas, cum omnibus inde sequutis, prorsus irritas esse, nulliusque roboris, ac momenti. Rursus eidem Petro Joanni praecipimus, atque inhibemus, ne sub simili Excommunicationis poena audeat Episcopalem Jurisdictionem, quam profecto nunquam adeptus est, exercere.

§.5. Qui vero per ipsius Literas Dimissorias fuerit Ecclesiasticis Ordinibus initiatus, noverit suspensionis vinculo se obstrictum, atque irregularitati praeterea obnoxium, si susceptos Ordines exercuerit.

§.6. Vobis autem, Dilecti Filii, & quibuscumque aliis etiam Episcopali, & Archiepiscopali Dignitate fulgentibus omnino, ac sedulo injungimus, vetamusque, ne premonstratum Petrum Joannem pro vero Ultrajectensi Archiepiscopo habeatis, & agnoscat, neve cum eodem ullo pacto, praestertim in Divinis communicetis, aut ab ipso, aut ab aliis per ipsum perperam deputatis Sacramenta, aut Ordines accipere, vel ullo modo illi, aut illis parere audeatis; immo eosdem tanquam alienos, Sanctae Sedi contumaces, mandatisque Apostolicis refragantes averlari & vitare praecipimus.

§.7. Praeterea sub poenis canonicis, atque etiam indignationis nostrae interdicimus, ac severe prohibemus omnibus cujuscumque Catholice Ecclesiae Archiepiscopis, & Episcopis, ne antedictum Petrum Joannem frustra electum Archiepiscopum consecrare audeant. Cui pariter sub eisdem poenis indicimus, atque imperamus, ne se a qualicumque Antistite consecrandum praebat, utpote inaniter, & nullo pacto Archiepiscopali Dignitate donatum; qua sane illicita ac nefaria consecratione tot reliquas subiret Canonicas poenas, & nihilo minus ab omni suscepti Episcopalis ejusdem Ordinis exercitio suspensus maneret.

§.7. Itaque, Dilecti Filii, mandata haec nostra in spiritu filiorum adoptionis accipite. Bull. Rom. Tom. XIV.

pientes, iis exequendis navate libenter operam, ac fortiter averlari versuta factiosorum ingenia, quibus nihil suavius est seditioso tumultu, perturbataque Religione; debita simul obedientia prosequuti Supremum Patrem familias, unice prospicientem vestrae felicitati, date documentum, filios lucis Vos esse, nec habere cum iis rem velle, consuetudinem, societatem, qui ambulant in regione umbrae mortis, ac propter pestilentis doctrinae tenebras, quibus obruuntur, ea denique mentis eegitate laborare incipiunt, ut praescos non unius Sanctae Hereticos imitati, ficti Archiepiscopi nomen in suos inducere aggrediantur; Contra vero cum fidei grege conjuncti, verique Pastoris vocem audientes, per sincerum Fidei, Religionis, pietatis passum eo pervenire contendite, ubi quantum Seductores isti se deceperint, quam rectum vos tenueritis aeternae salutis iter, legi beatique compertis. In cujus auspicio Apostolicam, Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Dat. Romae &c. die 6. Octob. 1739. &c.

CCLXIX

Ut Tertiarii quorumvis Ordinum Regularium Tertio Ordini B. Mariae de Monte Carmelo adscripti, Indulgentiis, & gratiis spiritualibus promiscue uti valeant.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DE salute Dominici gregis curae nostrae divinitus commissi paterna charitate olliciti caelestes Indulgentiarum thesauros, quibus illecti ad Ecclesias, & pia loca frequentanda, & pietatis opera exercenda magis incitentur, libenter erogamus.

Procurator

§.1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius a Conceptione Frater expresse professus, ac Procurator Generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, quod in quamplurimis ex Conventibus Ordinis, & Congregationis hujusmodi in Indiis existentibus, vigore privilegiorum eidem Ordini a se. re. Nicolao V. & Bonifacio VIII. Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessorum, & a re. me. Sixto IV., & Clemente itidem VIII. pariter Praedecessoribus nostris confirmatorum tertius Ordo ejusdem B. Mariae erectus, & institutus reperitur.

In hoc Ordine jam a multo tempore admitti Tertiarii.

§.2. Verum quia nonnulli ex Tertiariis Ordinis S. Francisci in Oppido Civitate nuncupato de Toluca Mexican. Diocesis dicto tertio Ordini B. Mariae denuo adscripti fuerunt, dubium excitatum fuit, an Tertiarii utriusque Ord. hujusmodi Indulgentiis, privilegiis, & gratiis spiritualibus promiscue frui possint: & licet primord. Ord. Superiores nullam in hac re difficultatem haberent, nihilominus Tertiarii ejusdem Ord. S. Francisci non solum contradicere, verum etiam ex eorum libris omnes illos, D d d qui

Nonnulli sunt infirmi Tertiarii S. Francisci.

Dubitatum de communicatione Privilegiorum.